

## Congregatio Hispano Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

### Scripti hujus ratio et divisio.

Congregationis Hispano-Benedictinae (quae vocabatur etiam Sancti Benedicti Vallisoleti, aut Vallisoletana tantum) Generalium Moderatorum Catalogum, quem nullibi publicae luci datum adhuc comperimus, nostro in animo jamdiu edere volvebamus, cum ad manus nostras pervenit Ephemeris „Revue benedictine“ in qua sat notabilis elucubratio de hac Congregatione evulgabatur. Quare magis accensi sumus videntes praeclarissimam istam hispanam Congregationem pene ignotam usque hodie mansisse; quapropter opportunum fore duximus ejus initia progressus extinctionionemque breviter describere; statutorum ipsius sinopsim facere; brevemque Monasteriorum ejusdem historicam notitiam praebere, recensitis illorum Praesulibus Monachisque praecipuis; postea vero Moderatorum Generalium seriem texere, demumque quotquot inveniri potuerint Scriptorum et Operum catalogum conficere, siquidem ex iis omnibus simul junctis perspicue apparebit praefatam Congregationem nulla earum, quae a saeculo XV in Ordine nostro surrexerunt, inferiorem fuisse.

### Caput I.

#### Initia, progressus, extinctio Congregationis Vallisoletanae.

##### I.

Priusquam initia Congregationis Vallisoletanae inquiramus, nonnulla hic praemittenda esse oportuum judicamus. Vidimus enim recentiores ita disciplinae monasticae statum per Hispaniam saeculis XIV et XV deprimere, ut facile credi posset, tunc temporis monachos hispanos omnes Sanctae Regulae penitus oblitos esse nullumque observantiae religiosae vestigium in Monasteriis inveniri,<sup>1)</sup> quo sic intellectum aliquantulum exaggeratum esse existimamus. Revera Guilielmus Cardinalis Sabinensis, et Joannis XXII in Regnis Castellae ac Legionis Legatus, in Concilio, quod Vallisoleti congregavit anno 1322, asserebat regularem observantiam per negligentiam Abbatum et Priorum Ordinum, sig-

<sup>1)</sup> Revue benedictine, 1902. — »La Congregation espagnole de S. Benoit de Valladolid« — pags. 255—267.

<sup>2)</sup> Vide Lafuente (Vincent). »Historia eclesiastica de España«, ed Madrid, 1874. V, 54 — ex quo alii scriptores desumpsisse videntur. Hic vero notandum est, hunc auctorem caute legendum, fere enim semper occasionem arripit invehendi acrius in monachos, ita ut ipsemet, quasi timens inimici nota inuri, eam repellere conetur (IV — 148 nota).

nanter . . . S. Benedicti Monachorum nigrorum, prout accepimus totaliter esse omissam<sup>1)</sup> haec tamen hyperbolice dicta esse intellegimus, cum ipse non ex Monasteriorum visitatione, sed ex iis quae audierat se informatum fuisse dicat.

Siquidem ex paucis, quae ad nostram notitiam pervenerunt, novimus non multo antea Bonifacium VIII. scripsisse Abbati Sahaguntino seque commendasse orationibus illius conventus verbis, ait Jepes, ipsi valde honorificis.<sup>2)</sup> Postea vero ex eodem Coenobio prodire monachi qui Monasteri ac Congregationis Vallisoletanae fundamenta jecerunt,<sup>3)</sup> ex quibus Antonius Zelinus, vir religiosissimus inde ad regimen Asceterii Sahaguntini assumptus est, quem secuti sunt tres alii Abbates, omnes quidem meritissimi.<sup>4)</sup> Ovetenses monachi, quorum Monasterium, sicuti et praecedens, dicitur, nescio qua ratione, prioris temporis umbram non esse, circa finem saeculi XIII. tanta in pauperes charitate flagrabant, ut dimidiam diurnae annonae portionem ad egenos sublevandos communi consensu relinquere decreverunt.<sup>5)</sup> Per idem tempus coenobitis Cauriensibus praeferre duo Abbates virtutibus praeclari, prout ex eorum tunulis, apud Jepesium descriptis, aperte colligitur;<sup>6)</sup> neque ibi relaxationis vestigium deprehenditur usque ad infortunata tempora Pseudo-Abbatum, qui Commendatarii dicebantur; quod pariter de Monasteriis S. Andreae de Espinareda et S. Joannis de Podio idem Jepesius asserit.<sup>7)</sup> In Corneliana invenimus quoque duo ex praecipuis Abbatibus alterum initio saeculi XIV, alterum in fine ejusdem „hominem magnae sanctitatis“ vocatum. Coenobium Onniense habuit etiam nonnullos egregios Abbates praesertim vero Sanctium, qui per triginta novem annorum spatium (1381—1420) illud moderatus est atque ut alter conditor habetur.<sup>8)</sup> Complures Abbates etiam memoria dignos exhibet elenchus Monasterii Silensis, ubi religiosa observantia, speciali St. Dominici ope, diutius perduravit.<sup>9)</sup> Tandem ne longi simus, non defuere etiam in Asceterio Caradignensi Praelati,<sup>10)</sup> qui absque injuria minime recenseri possunt inter illos, de quibus loquitur supradictus Cardinalis Sabiniensis. Hic nequaquam praeterire volumus fere omnia memorata

1) Villanuño, O. S. B. »Summa Conciliorum Hispaniae«, et alli collectores.

2) Jepes (Antonius) O. S. B., *Coronica general de S. Benito*, t. III, p. 20 s.

3) Jepes, I, 184<sup>v</sup>; III, 184<sup>v</sup>, 198—99.

4) Jepes, III, 20 s.

5) Jepes, III, 231.

6) Jepes, VI, 22.

7) Ibidem, 69.

8) Jepes, V, 339<sup>v</sup>.

9) Jepes, IV, 383—84.

10) Jepes, I, 95; IV, 383<sup>v</sup>. Vide etiam I, ?, ubi describit elenchum Stae. Mariae Vallisvenariae — et Casas (Hipolito), »Historia de Valvanera«, Zaragoza 1886, pag. 151—52.

Coenobia aliaque hispana Monasteria tot filiationes ac Prioratus habuisse, ut nonnulla eorum aequipari recte possint hodiernis Congregationibus Ordinis nostri, et reapse harum plures nec Monasteriorum nec Monachorum numero illa coequantur. Vnde concludendum est non ita totaliter omissam fuisse regularem observantiam, ut communiter decantatur; licet infitiamur haud possimus nec intendamus, in majori Coenobiorum parte antiquam disciplinam jam tunc valde excidisse perinde ac in aliis Europae provinciis.

Huic magnae Instituti monastici relaxationi occurrere voluit Benedictus XII., ejusdem quondam sub habitu Cisterciensi alumnus, qui universum Monachorum nigrorum Ordinem, Constitutione „Summi Magistri“ paulo post suam exaltationem edita<sup>1)</sup> in 30 Provincias distribuit ad hoc, ut in omni regione singulis triennii Abbates et Priores convenire possent in Capitulis, ibique leges conderentur, juxta quod ipse in eadem Constitutione statuerat, ubi etiam Visitatores eligi jussit, qui super earum executione ac observantia sedulo invigilarent.<sup>2)</sup>

Omnia Hispaniae Monasteria in tres Provincias dispartita fuere, ex quibus Caesaraugustana complectebatur ditionis Regis Aragoniae Coenobia; aliae duae intra Regnum Castellano-Legionense continebantur, Toletana, scilicet, quae comprehendebat utriusque Castellae Domos, et Compostellana-Hispalensis vocata, quae extendebatur per Galleciam et Legionem usque ad Baeticam. Perpauca sunt, quae ex illis temporibus superfuere, id tantum novimus Benedictum XII. commisisse Abbatibus S. Petri de Caradigna et S. Dominici Silensis, ut Constitutionem suam promulgarent in Capitulo Provinciae Toletanae, quod congregatum fuit in Coenobio S. Joannis Burgensis, praesidentibus supradictis Abbatibus, quibus commissa fuit etiam visitatio Monasteriorum ipsius Provinciae. Horum omnium Acta adhuc videre non potuimus. Ex eis tamen novimus recentiores velle colligere generalem relaxationem Monasteriorum totius Regni, ne dicam Hispaniae, quod nos non omnino probamus. Plerumque enim, ut bene norunt omnes religiosi, nihil aliud apparet in hujusmodi documentis nisi humanae miseriae, quae etiam in reformatioribus Coenobis ac Congregationibus saepissime inveniuntur.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Anno 1336. Vide Bullarium (ed. Caroli Cocquelines, Romae 1741, t. 3, P. 2<sup>r</sup>, pag. 214—40),

<sup>2)</sup> Jeyes, IV, 383v: »Revue benedictine« 1902, pag. 374.

<sup>3)</sup> Profecto si nunc publicae luci traderentur Acta hodierna Capitulorum et Visitationum tam Ordinum et Congregationum quam particularium Dommorum, absque dubio exirent aliqua, quae non parum erubescenda essent, et tamen inde deduci non posset, totum Ordinem, Congregationem aut Domum esse totaliter relaxata. Nonne in Collegio Apostolico fuit unus Judas? ergo-ne concludendum totum Collegium ex proditoribus conflari?

Quot fructus ex hisce Capitulis ac Visitationibus reportaverint hispana Monasteria, nescimus, sed tamen diu perdurare non potuerunt, cum paulo post subvenerit inmanis ille pestilens morbus, qui universam fere Europam percurrens omnia loca vastavit. Hac enim maxima contagione, ortaue fame ac egestate, quae subsequutae sunt, Superiores cogebantur concedere monachis licentiam exeundi a Monasteriis ut sibimetipsis victum aliaque necessaria quaerent, quod cum ipsi, huc illucque extra Claustra vagantes fecissent, obedientia, paupertas, ceteraque vitae monasticae virtutes fundamentales magnum detrimentum passae sunt, et lues, centies pejor priore, quae corpora invaserat, in animas pertransiit.<sup>1)</sup>

Novae deinde calamitates supervenerunt bellis civilibus, quibus tota Hispania involuta fuit, regnante Petro Rege, quo tempore res omnes ubique subversae sunt, ut videre licet in Historia illius aetatis.<sup>2)</sup> In his publicis perturbationibus multi nobiles, qui defensores Monasteriorum vocabantur, quique a Superioribus Coenobia et annexa oppida, ut per eos ab oppressoribus liberarentur, sub tutela receperant, postea tanquam Domini locorum se gerentes illa omnia eorumque bona sibi adjudicaverunt, quapropter monachi adversus hujusmodi abusos saepe inclamarunt,<sup>3)</sup> quod et pariter fecerunt Episcopi anno 1388 in concilio Palentino coadunati sub percelebri Petro de Luna, tunc Pseudo Pontificis Avenionensis Legato.

<sup>1)</sup> Non est una mens auctorum in designanda ratione relaxationis Monasteriorum. Rohrbacher (Hist. univ. lib. 79), Hergenröther (Hist. eccl., IV, 560, edit. hisp.), Lafuente (op. cit. V, 54), et alii extranei hoc tribuunt copiae divitiarum in eis cumularum: e contra nostri Jeyes, I, 184, et alibi saepius; Navarro (Em.) O. S. B., »Vida del V. Cisneros« Exercitatorio ejusdem praefixa, pag. 13, adscribunt paupertati et inopiae ad quam reducti sunt monachi, et eis suscribere videtur Berauld-Bercastel (Hist. gen. Eccl. an. 1340, lib. 44<sup>o</sup>). Certe nihil magis contrarium disciplinae monasticae quam victum manducando quaerere; et historia simul et experientia docent pauperioris parvasque Domos Ordinis nostri non fuisse omnium reformatissimas. Caeterum, ut observat quidam novissimus scriptor, meritum voti paupertatis non consistere tantum in carentia rerum, sed praecipue in eo quod illis utantur religiosi dependenter a Superiore; unde concludit fieri posse ut in Conventu divite servetur paupertas fidelius quam in Communitate pauperrima. Ambrosius de Valencia, O. Cap. »Cartas a Sor Margarita.« Sevilla 1901. Carta XXIV, pag. 191.

<sup>2)</sup> Mariana, Lib. XVI, cap. XVI et seq.

<sup>3)</sup> Jeyes, III, 184; IV, 183<sup>v</sup>. — Loquens de Comitibus Metimnae Campi habitis, ait Mariana: »Adfuere Benedictini sodales frequentes injurias expostulantes quae a proceribus in ulteriori Castella gravissime exstabant, specie quasi ea Monasteria, opibus amplitudineque praestantia haberent ipsi commendata, oppida per vim occupata, nova et insolita vectigalia imperare insulans, conditiones rerum capitalium, judiciumque eorum arbitrato fieri contra superiorum temporum morem legesque quaerebantur, dati iudices in causa, viri prudentissimi, procerum superbiam avaritiamque restringendam videri pronuntiarunt Coenobiorum divitias fore sanctas, neque cujusquam tutelae praeterquam Regibus commendari.« Lib. XVIII, cap. IV.

Quasi vero praeterita mala nondum sufficerent ad destruenda Monasteria, successere alia graviora, quibus tandem, nisi Dominus supposuisset manum suam, omnia prorsus eversa esse videbantur. Vt enim praetereamus gravissima damna, quae ex infelicissimo diroque Avenionensi schismate in universam Rempublicam Christianam emanarunt, eodem pariter tempore Commendationum abusus ita increvit, ut certe nemo satis eloqui possit, quot quantaque incommoda Coenobiis fera haec pessima intulerit.<sup>1)</sup> Turba enim Pseudo Abbatum et Pseudo Priorum commendationis titulo in Monasteria irruit eaque occupavit bonaque omnia depraedata est luxurioseque vivendo dissipavit; aedificia tam materialia quam spiritualia funditus evertit, interdum monachos inde expulit, qui vero remanserant, apprime verba Lupi Ferrariensis usurpare poterant: „Praeter solum nihil pene aliud relictum est... omnibus gementes caremus... cogimur itaque attrita et resarta ferre vestimenta, et famem semper solis oleribus et emptitiis leguminibus temporare...“<sup>2)</sup> Sed de hoc satis.

## II.

Itaque cum res ita se haberent neque usquam ullum signum remedii appareret, adfuit omnipotens et misericors Dominus, qui mortificat et vivificat, humiliat et sublevat, diesque illuxere clariores et paulatim pacata tempestate, Benedictina Religio iterum in Hispania florescere coepit deditque abundantius fructus suos in tempore opportuno. Joannes enim Castellae ac Legionis Rex, hujus nominis primus tam lamentabilem rerum religiosarum statum cernens, statuit condere Coenobium, in quo religiosi, divino servitio mancipati, in humilitatis et recollectionis spiritu devotum et sedulum Deo exhiberent famulatum. Itaque, anno 1390, obtenta prius

---

<sup>1)</sup> Mala hujusmodi abusus fuse prosequitur acriterque depingit Jepesius noster toto suo opere, sed praecipue tom. IV ubi tales Abbates vocat »monstra ex inferno aborta«. Cf. Natal. Alex. »Hist. eccl.« saec. XV et XVI, cap. VII, a. IV, n. XXIII, et Richard Analysis Conciliorum, t. III. v. »Commenda« etc. Plus quam quingenta Monasteria Commendata fuere a Pontificatu Calixti III. (1455—58) asserebat Paulus II. ejus successor. Vide »Studien«, 1899, II—III, 234—46; 1900, I, 3—15; II—III, 244—59. Commendationes Monasteriorum pluries reprobatae ac prohibitae fuere, praecipue vero a duobus Oecumenicis Conciliis, Lateranensi, scilicet ac Tridentino. Leo X. qui Lateran. praefuit, hanc rationem reddebat: »quoniam Monasteria tam in spiritualibus quam in temporalibus graviter laeduntur, quippe quorum aedificia partim Commendatariorum negligentia, partim avaritia vel incuria collabuntur, et in dies divinus cultus in his magis diminuitur... Concilium Trident. Sess. 25, cap. XXI. De Reformat. Regul. haec habet. »Cum pleraque Monasteria, etiam Abbatiae, Prioratus et Praepositurae ex mala eorum, quibus commissa fuerunt, administratione non leviter passa fuerint, tam in spiritualibus quam in temporalibus, cupit Sancta Synodus ea ad congruam monasticae vitae disciplinam omnino revocare«...

<sup>2)</sup> Epist. XLIII, XLIV—XLV, scriptae in similibus circumstantiis, Migne, CXIX, 511—14.

Apostolica facultate,<sup>1)</sup> proprias aedes, quas Vallisoleti possidebat, tradidit ut in eis Monasterium erigeretur; et ne propter inopiam nimiamque saeculi hujus sollicitudinem religiosi a divino servitio arcerentur, illud multis redditibus locupletavit, et tandem ut contraria contrariis curarentur, voluit etiam, ut hujusmodi personae voto perpetuae inclusionis se obstringerent. Ad hoc opus monachos selegit virtute praestantiores ex diversis Regni sui Coenobiis, ut aperte tradit Jepes<sup>2)</sup>, sed praecipue ex Sahaguntino, quod prae aliis numero et disciplina tunc florebat praesertim in Prioratu S. Salvatoris de Nogal<sup>3)</sup>, in quo regularis observantia strictius servabatur.

Hi omnes monachi vel ab ipso initio inclusionis tenorem vitae ita perfectum aggressi sunt, ut testibus illius aetatis scriptoribus, „si Sanctus Hieronimus<sup>4)</sup> vidisset monachos, qui in Monasterio Vallisoletano morati sunt, haud inferiores meritis eos aestimasset quam Thebaidis regionis monachos, neque minoribus hos quam illos fuisset laudibus prosequutus<sup>5)</sup>“.

Sane vivebant omnino segregati a consortio saecularium, quibus nullus aditus patebat nisi fores Ecclesiae, coeterae semper erant omnibus clausae, sicuti servatur in Domibus Monialium, et pariter utebantur rotis et cancellis velamine coopertis ut, cum esset colloquendum cum extraneis (raro et urgente necessitate aut magna utilitate) ab iisdem nec aspici nec videri possent. Rarissime inveniebantur extra clausuram per civitatem, et obiter tantum<sup>6)</sup>, frequenter vero in Ecclesia servitutis suae pensum Deo devote reddentes: hinc illorum vita apparebat populo adeo innocens et sancta, ut uno ore Beati appellarentur, nulloque alio nomine circumquaque ab eo designabantur.<sup>6)</sup>

Laetabantur plurimumque gaudebant caetera Regni Monasteria, cum viderent Monachos ab eis ad Vallisoletanum missos talia

1) A Clemente VII., cui tunc obediebat Hispania opera Petri de Luna, qui ei postea successit, et Benedictus XIII. vocatus est. Literae Cl. VII. directae sunt Episcopis Segoviensi et Ovetensi: »Oblatae nobis, ait Clemens, pro parte ipsius Regis petitionis series continebat quod ipse piae devotionis et sinceritatis fervore succensus, ac de salute propria cogitans, cupiensque terrena in coelestia, et transitoria in aeterna felici commercio commutare, ad laudem Divini Nominis quoddam Monasterium cum Ecclesia, claustro, cimiterio, domibus et aliis necessariis officinis Monachorum nigrorum Ordinis Sancti Benedicti volentium ultra ejusdem Sancti Benedicti Regulam, se ad perpetuam reclusionem obligare, in aliquo loco regni sui fundare et aedificare, ac de bonis propriis sufficienter dotare proponit.« »Privilegia praecipua Congregationis Sancti Benedicti Vallisoleti.« Vallisoleti 1595, pag. 66.

2) Jepes, I, 184<sup>v</sup>.

3) Jepes, III, 184<sup>v</sup>, 186.

4) Apud Navarro, op. cit., pag. 14—15.

5) Scilicet, postquam Martinus V. an. 1428 dispensavit ad hoc ut negotia Monasterii ipsimet pertractarent. Privilegia praecipua. 74.

6) Navarro, loc. cit. — Jepes, I. 184<sup>v</sup>.

sanctitatis signa dantes; sed licet hunc novum vivendi modum laudarent, illum tamen amplecti detrectabant vel propter rei novitatem vel propter eventus expectationem; considerabant enim, qualem haberent exitum hujusmodi extraordinaria initia. Itaque tantummodo perantiquum S. Claudii Legionensis Asceterium, quod semper observantia aliis antecelluerat, exemplum Vallisoletanorum secutus est anno 1417, quin tamen eisdem se subiceret.<sup>1)</sup> Proinde Monasterium Vallisoletanum per quinquaginta fere annorum spatium seorsim permansit usque dum ab ejus monachis fundatae sunt duae aliae parvae Domus, scilicet, Stae. Mariae de Consolatione de Calabazanos et Stae. Mariae de Misericordia de Fromista, utraque in eadem Palentina Dioecesi.<sup>2)</sup> Sejunctio igitur Prioratum, quos Congregatio Cluniacensis habebat annexos in Hispania, paulo ante dimidium saeculi XV incepta, et reformatio aliquorum Monasteriorum Vallisoletanis per idem tempus commissa, considerari debent tanquam initia Congregationis hispano-benedictinae, quae a principali ejus Coenobio Vallisoletana passim dicta fuit.

Complura olim monachis Cluniacensibus tradita fuerant Coenobia<sup>3)</sup>, potissimum ab Alphonso VI. Castella Rege, qui vitae

<sup>1)</sup> Ita Jepes, I, 185; VI, 420<sup>v</sup>. — Privilegia praecipua, 90, 93, 96 — etsi ex aliis locis istorum contrarium prima fronte videatur. Revera Joannes II., Castellae Rex, ejus unionem optaverat atque tentaverat anno 1446, verumtamen, ut creditur, Commendatoriorum adversis conatibus usque ad anno 1502 hoc perficere non valuit. Jepes, loc. cit.

<sup>2)</sup> Privilegia praecipua, 86, 89, 93 etc. etc.

<sup>3)</sup> Horum meminere Paschalis II., Honorius II., Lucius II., Eugenius III. et Clemens III. in confirmatione bonorum et privilegiorum Monasterii Cluniacensis, erantque sequentia: Sta. Maria de Najara (ibi vocatur Nazera, Nazara et Hazara); Stus. Zoil de Carrion (Scarrion et Quarrion); S. Isidorus de Dueñas; S. Vincentius de Palumbario (Pombeyro); S. Salvator Vallisviridis (Valverde), Valvert aut Vallisviridis (S. Petrus?); S. Martinus de Negdal (al. Nebda, Noiva); Villafranca; S. Martinus de Fromista (hujus meminit tantum Honoribus II.); S. Romanus de Pennis (Entre peñas); Bodinum, Bimineria (in territorio Bracarensi, Palumbarii annexum); S. Vincentius Salmaticensis; Sta. Columba Burgensis, et S. Salvatore de Corneliona, (Jepes, legit »Ornilana«, putatque esse »Ornillos«, S. Petri de Caradigna annexum, at hoc non S. Salvatori, sed Sta. Mariae erat dicatum. — Coeterum Bullae Pontificum omne dubium e medio tollunt. Vide Bullarium, ed. Cocquelines, tom. II, pag. 140, 152, 279, 296 et tom. III, 33. Jepes, IV, 239<sup>v</sup>, 330 — ubi addit Prioratus S. Bauduli (S. Boal) et Stae. Agathae Mirobrigensis (Ciudad — Rodrigo), qui forte omittuntur quia erant aliorum annexi, et S. Michaelis de Zamora, Sti. Joannis Bapt. Burgensis, et Stae. Mariae de Zebrero etc., qui mediate tantum erant Monasterio Cluniacensi subjecti. Hic omittuntur etiam Monasteria Sahaguntinum, Onniense, Hirachense, Pinnatense et Legerense, quia, ut saepe observat et animadvertit Jepes, haec nunquam ad Cluniacensem Congregationem pertinerunt, licet reformationem, usus nempe atque consuetudines ipsius accepissent; quod etiam probatur ex eo quod semper Abbatiali potita sunt dignitate. (Jepes, III, 182<sup>v</sup>—83, 372; IV, 330<sup>v</sup> 31; V, 330<sup>v</sup> etc.) cujus doctrinae passim obliviscuntur scriptores qui illa Congregationi Cluniacensi adscribunt, ut Lafuente, qui nimis abutitur ad debacchandam effrenato ealame in Cluniacenses.

simul et regni debitorem sese illis agnoscebat. Nonnulla horum Coenobiorum erant valde nobilia et Abbatiali potiebantur dignitate; verumtamen a Cluniacensibus pro suo more degradata sunt et deinde gubernata per Priores a Cluniaco missos, plerumque gallos, ut ex nominibus eorum quae in Catalogis apparent, aperte conicitur.<sup>1)</sup> Horum gubernium fuit non parum infortunatum Domibus sibi commissis, quamvis enim plerique fuerint eximia virtute praediti, tamen, utpote illarum Domorum non professi, res earum minore dilectione prosequerantur, praeterquam quod, cum essent alienigenae, multoties nova illis erant omnia, neque usibus moribusque gentis aut regionis facile se assuefacere valebant, et tandem, cum aliquis eorum minus expertus non recte administrabat, tarde aut numquam remedium perveniebat.<sup>2)</sup>

Attamen ex gravaminibus quae illae Domus patiebantur maximum existimabatur esse cum earum Monachos Novitia um perficere cogentur in Gallia, quod erat gravissimum incommodum tum propter locorum distantiam et expensarum dispendium, tum propter inevitabilem animorum dissolutionem aliaque vitae monasticae omnino contraria, quippe in his longis itineribus recollectio, silentium, oratio ceteraque exercitia cum diversiorum tumultu admodum difficile reconciliantur.<sup>3)</sup> His omnibus serio consideratis monachi hispani gallicanum jugum excutiendum esse censuerunt impetraruntque adjutorio Pontificum et Regum, qui aegre ferebant subditos suos ab extraneis gubernari et ex eorum arbitrio pendere. Primus enim qui a Cluniacensibus recessit, fuit Prioratus Sancti Joannis Bapt. Burgensis<sup>4)</sup> (1435), illumque secuti sunt Stus. Zoilus de Carrion (1439--44)<sup>5)</sup>, Stus Michael de Zamora (1458)<sup>6)</sup>, Stus. Isidorus de Dueñas (1478)<sup>7)</sup>, et tandem Najarensis (1486)<sup>8)</sup>; quibus adjeit Julius II anno 1504 Prioratum Sti Vincentii Salmaticensis<sup>9)</sup>

Priusquam haec omnia evenissent, Martinus V. anno 1428 jam dispensaverat Vallisoletanos Monachos, ut possent exire a Monasterio ad foundationem quorumcumque Ordinis Monasteriorum, Prioratum et Grangiarum . . . de Prioris consensu et licentia ac majoris partis Conventus;<sup>10)</sup> et postea etiam Eugenius IV. Priori Sancti Benedicti Vallisoleti „cum consilio illorum ex hujusmodi

1) Jeyes, IV, 202v; VI, 88v et 423.

2) Jeyes, IV, 201.

3) Jeyes, VI, 151, 419v; VII, 341.

4) Jeyes, ibid. VI, 423v.

5) Jeyes, VI, 89.

6) Infra cap. III, art. II, § IX.

7) Jeyes, IV, 201v - 202v.

8) Jeyes, VI, 150 - 51.

9) Jeyes, VII, 341. »Privilegia praecipua«, 147.

10) Privilegia praecipua, 74.

Conventu, qui sibi in gerendis inibi negotiis assistere consueverint<sup>1</sup>, concessit, ut Monachos dirigere et transferre posset ad quaecumque Monasteria praefati Ordinis in partibus illis pro tempore consistentia, et in quibus hujusmodi Religio tunc non vigerit.<sup>1</sup>) Itaque cum reformatae Vallisoletanorum monachorum vitae claritas longe lateque diffunderetur eorumque dexteritas felixque in difficillimis negotiis pertractandis exitus simulque favor et gratia, qua apud Reges et Pontifices valebant, caeteris monachis plane nota essent, eisdem sensim accedere coeperunt ipsorumque opem et validum adiutorium in suis angustiis et laboribus imploravere. Primi fuere Omnienses, qui anno 1450 interno schismate afflicti sunt, ad cujus extinctionem Vallisoletani, tum ab ipsis monachis initio vocati, tum etiam postmodum ab Henrico Rege, hujus nominis quarto, strenue adlaborarunt, donec Coenobium ad pristinum statum reductum est.<sup>2</sup>) Similiter anno 1460, Coenobitae parvae Domus Stae Mariae de Bueso (in Dioecesi Zamorensi) a qua ejecti fuerant, auxilio Vallisoletanorum illam recuperarunt, ipsorumque reformationem receperunt. Paucis ante annis Archiepiscopus Toletanus iisdem tradiderat ad restaurandum et reformandum Coenobium Stae. Mariae de Sopetran, quod injuria temporum jam pene eversum erat.<sup>3</sup>)

Cum deinceps Regnum Castellae haereditassent Elisabeth ejusque conjux Ferdinandus, omnem curam adhibuerunt, ut Monasteria suae Ditionis Vallisoletano se adjungerent. Anno 1492, capta Granata, ultimo Maurorum praesidio, totaque Hispania in pace constituta, Montemserratum ascenderunt, ut gratias Beatae Mariae Virgini pro parta victoria referrent.<sup>4</sup>) Ibi paucos animisque disjunctos invenerunt Monachos; ideoque impetrata ab Alexandro VI. facultate, arcesserunt Priorem S. Benedicti Vallisoleti, qui secum ferens quattuordecim monachos, reformationem inibi eo successu induxit, ut ex illo tempore hoc Coenobium inter primos non tantum Hispaniae, sed etiam Ordinis nostri recenserimeruerit.<sup>5</sup>) Sahaguntini coenobitae voluntatem Regum Catholicorum exsequentes anno 1494 (filiationi coenobio suae) Vallisoletano semetipsos submiserunt.<sup>6</sup>)

Eodem tempore ipsi Reges Catholici specialem ab Alexandro VI. impetrarunt facultatem ad reformandum Monasteria Galliciae, quae reapse reformatione valde indigebant. Hoc munus

<sup>1</sup>) Ibidem, 79.

<sup>2</sup>) Jeyes, V, 334., 36.

<sup>3</sup>) Infra cap. III.

<sup>4</sup>) »Compendio historial . . . de Montserrate. Barcelona 1851, pag. 121; Crusellas O. S. B., »Nueva Historia de Montserrat. Barcelona 1896, pag. 104 (opus erroribus scatens).

<sup>5</sup>) Jeyes, IV, 229, 240; Crusellas, op. cit. 229—34.

<sup>6</sup>) Jeyes, III, 199.

commisit Pontifex Priori Sancti Benedicti Vallisoleti, eidem praecipiens, ut ipse ad hujusmodi Monasteria accederet atque reformationem, visitationem, punctionem castigationem, correctionem, suspensionem, privationem, unionem, dissolutionem omniaque singularia in litteris Innocentii VIII. contenta, auctoritate sua juxta illarum formam et tenorem facere et exsequi ac debitae executioni demandare curaret in omnibus et per omnia.<sup>1)</sup> Verumtamen eventus expectationi non respondit, et dumtaxat Monasteria Compostelana<sup>2)</sup> et Sti. Vincentii de Monforte<sup>3)</sup> reformationem Vallisoletanam acceperunt.

Inter obstacula, quae unionem Monasteriorum hispanorum impediabant, maximum fortasse erat suppressio dignitatis Abbatialis, quae adhibebatur tamquam efficacior medicina adversus malum commendationum. Cassinenses ad hoc vitandum statuerunt, ut electiones Abbatum singulis annis fierent, quod erat nimis molestum neque ullum effectum sortitum est, quia non omnes Commendationes extinguere valuerunt,<sup>4)</sup> Vallisoletani autem hujusmodi malum radicitus amputare cupientes, consultius fore censuerunt, ut titulus Abbatialis supprimeretur et reapse hoc modo Commendationes paulatim cessare in Monasteriis aggregatis. Hoc utique videbant cetera Monasteria, illis tamen nimis durum erat gradum suum amittere, maxime vero iis, quae jurisdictionem quasi episcopalem exercebant, praeterquam quod ipsis minus consentaneum S. Regulae videbatur.

Haec omnia mature perpendentes Patres in Capitulo Generali 1496, validioresque jam sese existimantes ad luctandum adversus Commendatarios, decreverunt postulare a Romano Pontifice, ut dignitatem Abbatialem restituere dignaretur Monasteriis, quae antea illa potita fuerant, et insimul eandem dignitatem concedere Monasterio Vallisoletano tamquam capiti aliorum.<sup>5)</sup> Hac difficultate e medio sublata paulo post quattuor Coenobia Hispaniae antiquiora et celebriora: Sti. Claudii Legionensis,<sup>6)</sup> Sti. Aemiliani de la Cogolla (1500—2),<sup>7)</sup> Sti. Petri de Caradigna<sup>8)</sup> (1502), Stae. Mariae Vallisvenariae<sup>9)</sup> foederationi adhaeserunt.

Mortua inclita Elisabeth, Castellae Regina (1504) regnique

<sup>1)</sup> Privilegia praecipua, 133. — Litterae Innocentii VIII. habentur 154 in privilegio Julii II. an. 1505.

<sup>2)</sup> Jeyes, IV, 54, 58.

<sup>3)</sup> Ibidem, 290.

<sup>4)</sup> Monasterium Farfense et Sublacense adhuc habent Abbates Commendatarios ex S. R. E. Cardinalibus. — Cf. Jeyes, I, 49.

<sup>5)</sup> Privilegia praecipua, 135.

<sup>6)</sup> Jeyes, I, 185; VI.

<sup>7)</sup> Jeyes, I, 282.

<sup>8)</sup> Jeyes, I, 94<sup>r</sup>.

<sup>9)</sup> Jeyes, I, 285; Casas, op. cit., pag. 208.

administratione penes Ferdinandum V. remanente, ipse semel et iterum Summo Pontifici preces obtulit, ut visitationem atque reformationem Monasteriorum, jam olim ab Innocentio VIII. Episcopis Abulensi et Cordubensi et Segoviensi commissam, Abbati Vallisoletano pro Regno Castellae ac Legionis, Montseratensi vero pro Aragonica sua Ditione concederet.<sup>1)</sup> Annuit libenter Julius II. et uterque Abbas delegationem suam pro viribus adimplere curavit. Ven. Garcias de Cisneros, Abbas Montserraten- sis, Monasteria Congregationis Tarraconensis visitavit atque in Capitulo congregavit, fructus tamen laboribus impensis non responderunt.<sup>2)</sup> Felicior fuit Vallisoletanus, P. Petrus de Nájera, quippe nova Coenobia Congregationi adjunxit: Sancti Juliani de Samos (anno 1505),<sup>3)</sup> Sancti Salvatoris de Cellanova (1506),<sup>4)</sup> Sancti Andreae de Espinareda,<sup>5)</sup> Sancti Petri de Montes.<sup>6)</sup>

Subsequentibus annis reliquae Domus, tametsi lente et ob- sistentibus pervicaciter Commendatariis, Vallisoletanae reforma- tioni se consociavere, hoc ordine: Anno 1512 monasterium Sancti Petri de Exlonza,<sup>7)</sup> Sancti Dominici de Silos<sup>8)</sup> cum pluribus fili- ationibus suis, inter quas praecipuae erant duo Prioratus, Sancti Martini Matritensis unus,<sup>9)</sup> alter Sti. Dominici Hispalensis,<sup>10)</sup> qui postea dignitate Abbatiali aucti sunt. Deinde anno 1515 accessit Monasterium Sti. Vincentii Ovetensis,<sup>11)</sup> cui secuta sunt anno 1518 monasteria Sti. Petri de Arlanza in Castella,<sup>12)</sup> Sti. Salva- toris de Lorenzana in Gallecia.<sup>13)</sup> Ab anno 1521 ad 1523 unita fuere quattuor alia Coenobia: Sti. Felicis de Guixols Dioecesis Gerundensis in Cathalonia (1521)<sup>14)</sup> petentibus ispis monachis; Stae. Mariae de Hirache, omnium Navarrae nobillissimum (1522),<sup>15)</sup> Stae. Mariae de Obarenes et Stae. Mariae del Espino, utrum- que in Archidioecesi Burgensi.<sup>16)</sup> Tandem Monasteria Astura, Sti. Joannis de Corias,<sup>17)</sup> Stae. Mariae de Obóna,<sup>18)</sup> et Sti. Salvatoris

<sup>1)</sup> Privilegia praecipua, 145—154.

<sup>2)</sup> Navarro, op. cit., p. 83 seq. Cf. Revue benedictine 1900 p. 285—89.

<sup>3)</sup> Jepes, III, 220v.

<sup>4)</sup> Idem., V, 36.

<sup>5)</sup> VI, 69v.

<sup>6)</sup> II, 183v.

<sup>7)</sup> IV, 353.

<sup>8)</sup> IV, 384v.

<sup>9)</sup> IV, 374v.

<sup>10)</sup> IV, 375v.

<sup>11)</sup> III, 233.

<sup>12)</sup> I, 381.

<sup>13)</sup> V, 147.

<sup>14)</sup> III, 329v.

<sup>15)</sup> III, 381.

<sup>16)</sup> Infra cap. III.

<sup>17)</sup> VI, 23.

<sup>18)</sup> III, 277v.

de Corneliana,<sup>1)</sup> devictis Commendatariis, qui ibidem se vallaverant, anno 1536 annexionem obtinuerunt; quam cum pariter assecuta sint coenobia S. Salvatoris de Lerez (1540)<sup>2)</sup> et Sti. Joannis de Podio (1547)<sup>3)</sup> in Gallecia, reformatio tantopere concupita demum absoluta fuit.

### III.

Haecenus proposuimus unionem Monasteriorum Hispaniorum Vallisoletano, quae Congregationem Hispano-benedictinam seu Vallisoletanam gignit; reliquum est, ut initia nunc inquiramus istius Congregationis, quae, sicuti supra vidimus, ad instar grani sinapis missa in terra, facta est arbor magna, quae ramos suos extendit a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos Hispaniae: ab oris Gallaicis usque ad Laletana, et a ripis Baetis usque ad Pyrenaeos saltus.

Variae et quidem valde oppositae inter se sunt scriptorum sententiae de hujusmodi initiis, ex eo quod aliter ab aliis Congregationibus, haec nullum habuit proprium conditorem neque efformata est in aliqua determinata occasione, sed paulatim per unius fere saeculi spatium. Et licet in sententia media stet veritas, errant pariter, quicumque hunc illumve monachum tanquam ejus parentem salutant. Nos ergo dicimus exordium hujus Congregationis tertia saeculi decimi decade collocandam esse, ejus vero complementum anno 1496 cum expressis terminis ab Alexandro VI. confirmatum est, quamvis postea major Coenobiorum pars eidem accesserit.

Anno ergo 1433, cum jam Monasterium Legionense genus vivendi Vallisoletanorum amplexum esset, et ab his conditum illud Stae. Mariae de Consolatione, Eugenius IV indulisit Priori Sancti Benedicti, „ut cum consilio illorum ex hujusmodi Conventus“ qui sibi in gerendis negotiis assistere consueverunt, ad quaecumque alia Monasteria praefati Ordinis in partibus illis pro tempore consistentia, et in quibus hujusmodi Religio tunc non vigerit, aliquos eorumdem Sancti Benedicti et Beatae Mariae Monasteriorum, de quibus sibi videbitur, Monachos, qui inibi sub similibus clausura et observantia, quoad vixerint, vel ad tempus degant et perseverent, dirigere, ac Sancti Benedicti, nec non Beatae Mariae, Sancti Claudii et aliorum, qui similiter reformari contigerit Monasteriorum, hujusmodi Monachis et personis, quoties hoc congruere prospexerit, ut infirmitatis et aliis legitimis subsistentibus causis, de illis, in quibus tunc fuerint, ad alia ex praedictis Monasteriis transire, nec non inibi quandiu sibi visum fuerit, permanere valeant, licentiam

<sup>1)</sup> V, 384.

<sup>2)</sup> Jeyes, IV, 210v.

<sup>3)</sup> Jeyes, V, 82.

concedere posse“. . .<sup>1)</sup> Hinc factum est, ut incipiens Congregatio cito cresceret, et anno 1438 in privilegiis memorentur „Monasteria reformata et de novo erecta,<sup>2)</sup> et idem Pontifex licentiam et facultatem concedit „pro majori ipsius observantiae conservatione et dilatatione Priori sive Superiori pro tempore Sancti Benedicti praedicto, ut ipse una cum duobus Monachis sive religiosis aut alii idonei Monachi dicti Monasterii, aut observantiae hujusmodi per eum ad hoc pro tempore deputandi, de consilio seniorum, aut majoris seu sanioris partis conventus dicti Monasterii, etiam praedicto voto inclusionis non obstante, honeste semel ad minus quolibet anno ad omnia dicto Monasterio Sancti Benedicti nunc subjecta, et quae in futurum sibi subijci contingat, vel ad ejus visitationem expectent Monasteria sive loca personaliter accedant, ac Deum prae oculis habendo illa in capite et in membris, ac in spiritualibus et temporalibus visitent; excessusque, defectus, crimina corrigant, puniant et emendent, nec non debitae reformationis et visitationis officium in eisdem Monasteriis impendant, ac evellant, dissipent, aedificent et plantent, et ad statum debitum singula deformata, si qua reppererint, reforment, restaurent et reducant; ac ut praemitt(it)ur, ad videndum aliqua Monasteria reformanda, sive aedificanda, ac situs sive loca pro eisdem fundandis, sive de novo erigendis, eligenda exeant, vadant, et accedant toties quoties Priori et Conventui dicti Monasterii Sancti Benedicti hujusmodi casus so offerant et occurrant“. . .<sup>3)</sup>

Eodem anno 1438 ab Apostolica Sede, inter alia hoc petierunt et impetrarunt, „quod Prior sive Superior pro tempore existens Monasterii Sancti Benedicti Vallisoleti praedicti, a quo hujusmodi observantia et inclusio principium habuerunt, cum consilio illorum ex hujusmodi Conventu, qui sibi in gerendis inibi negotiis assistere consueverint, ac aliorum Seniorum et providorum Religiosorum in suo Capitulo consueto, prout sibi visum fuerit, possint interpretari et modificare, declarare et exponere ac moderari quaecumque dubia ac passus Regulae Sancti Benedicti, quomodocumque ac quandocumque inter professores dictorum Monasteriorum observantiae hujusmodi quaestio vel dubitatio circa dictae Regulae custodiam seu conservationem vel intellectum quomodolibet oriatur, servatis tamen substancialibus ipsius Regulae, ac recta conscientia et sano intellectu, ne scandalum vel dissolutio ex talibus sequatur, possit etiam libere dispensare in omnibus et singulis contentis in Constitutionibus Benedicti XII simul vel succesive toties quoties sibi videbitur“. . .<sup>4)</sup> Postea vero fortasse

<sup>1)</sup> Privilegia praecipua, pag. 78—79.

<sup>2)</sup> Op. cit., pag. 89, 93.

<sup>3)</sup> Privilegia praecipua, pag. 97.

<sup>4)</sup> Privilegia praecipua, pag. 99.

mutato consilio postulatae explicationes et moderationes Sanctae Regulae, petentibus ipsis Vallisoletanis, et de mandato ac commissione Eugenii IV., factae sunt a Ludovico Barbo, Episcopo Tarvisino, Congregationis Stae. Justiniae fundatore; quas integre, quia rarissimas jam esse putamus, infra suo loco transcribere curabimus. <sup>1)</sup>

Tandem anno 1446, postquam idem Eugenius confirmavit gratias et privilegia, tam ab ipso quam a praedecessoribus suis Monasterio Vallisoletano concessa, illa omnia extendit ad reliqua Monasteria illi unita, hisce verbis: „Concedimus pariter et decernimus, quod omnia et singula concessiones, exemptiones, indulgentiae et indulta praedicta ac quaecumque alia praefato Monasterio Sancti Benedicti, sive illius Monachis quomodolibet concessa, ad omnia et singula supradicta, ac alia quae in posterum reformabuntur et de novo construentur eisque aggregabuntur vel subjicientur Monasteria et ipsorum membra, illorumque praelatos et personas ac visitantes, integre et plenarie se extendant, ipsaque supradicta, et quae reformabuntur, construentur, aggregabuntur et subjicientur Monasteria et membra, Praelati, personae, et visitantes illis omnibus ac singulis uti, frui et gaudere possint et debeant juxta omnem eorum formam ac concessiones exemptiones, indulgentiae et indulta sint, censeantur et habeantur perinde in omnibus et per omnia ac si pro ipsis omnibus et singulis ac quolibet eorum specificae, singulariter et individue concessa fuissent, et pro eis ac quolibet ipsorum originaliter emanassent“...<sup>2)</sup> Talis erat status Congregationis Vallisoletanae, attingente jam finem suum Pontificatu Eugenii IV, qui tantopere fuit de universo Ordine nostro benemeritus. Videamus nunc, quomodo sub ejus Successoribus usque ad Alexandrum VI explicetur atque distendatur dominatio atque jurisdictio Prioris ac Domus Vallisoletanae super reliquis Superioribus ac Domibus, donec Congregatio ad suum pervenit complementum.

Pius II. anno 1463 plenam et liberam concedit facultatem Priori Vallisoletano, „de cujus prudentia et circumspectione, inquit, plenam in Domino fiduciam obtinemus“, ut „duo vel tria Monasteria sive Domos dicti Ordinis, in quibus propter exiguitatem fructuum, reddituum et proventuum tres vel quattuor Monachi sustentari nequeunt, Abbatum et Conventuum dictorum Monasteriorum expresso ad id interveniente consensu, uniendi, annectendi et incorporandi, ac in aliquo ipsorum Monasteriorum sive Domorum Monachos usque ad numerum duodecim constituendi et deputandi, ac alia Monasteria in locis eorundem temporalium

<sup>1)</sup> Infra cap. II.

<sup>2)</sup> Privilegia praecipua, pag. 87.

Dominorum vel sterilibus et inaquosis existentia, si secundum Deum hoc expedire videritis, de dictis oppidis sive locis ad alia loca vel oppida transferendi nec non fructus redditus et proventus praedictorum omnium Monasteriorum, ut praemittitur, uniendorum, quos pro expressis haberi volumus, pro sustentatione Monachorum in magis accommodis domibus et Monasteriis commorantium deputandi“...<sup>1)</sup>

Magis amplificata et exulta apparet Congregatio anno 1466 sub Paulo II, quo tempore Vallisoletani statuerunt, ut in posterum Priores illius Monasterii essent triennales. Postquam hoc statutum approbavit Pontifex, statuit atque ordinat, „quod Prior dicti Monasterii Sancti Benedicti de cetero eligendus pro confirmato habeatur, et quod idem Prior sic electus et confirmatus, simul cum Patribus et Senioribus praedicti Monasterii Sancti Benedicti semel, et etiam quodcumque de ipsorum Patrum et Seniorum consensu neccessarium fuerit, Generale Capitulum dictorum Monasteriorum convocare, et in hoc primo Capitulo, qualiter, quando, et per quos visitari debeat ipse Prior Sancti Benedicti in futurum; quodque tam in ipso primo quam aliis generalibus Capitulis hujusmodi omnia et singula statui, corrigi, emmendari et ordinari possint, quae utilia et rationabilia, salubria et temporibus conformia fuerint pro felici regimine Monasteriorum eorumdem, ac personarum in illis Altissimo famulantium viderint expedire“...<sup>2)</sup>

Innocentius VIII. anno 1489 Praelatum Vallisoletanum vocat „Priorem Generalem, et Caput omnium aliorum Monasteriorum ei subjectorum“, deinde ipsi committit visitationem eorum, statuitque ut, „cum Prior dicti Monasterii Sancti Benedicti, et cum eo unus per Conventum ipsius Monasterii eligendus, vel absque eodem Priore, duo visitatores per Priorem et Seniores Monasterii Sancti Benedicti hujusmodi deputandi singulis bienniis ad quodcumque ex Monasteriis eidem Priori Generali subjectis et subjiendis pro hujusmodi facienda generali visitatione accesserint, statim Prior dicti visitandi Monasterii, absolutionem a suo Prioratu... petat... et locum simplicis Monachi teneat, dictumque officium finitum censeatur, et finita visitatione hujusmodi conventus... ad electionem Prioris procedant... et Prior per eos eligendus, per Priorem Generalem, seu visitatores hujusmodi confirmetur... dum tamen Prior... antequam confirmetur, obedientiam et reverentiam eidem Priori Monasterii Sancti Benedicti, et de illa ac statutis, privilegiis et constitutionibus dicti Ordinis observandis juramentum praestit“...<sup>3)</sup> Et infra, ut „Priores Monasteriorum eidem Monasterio Sancti Benedicti subjectorum et sub-

<sup>1)</sup> Privilegia praecipua, pag. 118v.

<sup>2)</sup> Privilegia praecipua, pag. 120.

<sup>3)</sup> Privilegia praecipua, pag. 127.

jiciendorum, quando et quotiescumque ad Capitulum Generale... vel ad aliquid aliud vocabuntur, dictum Monasterium Sancti Benedicti locum non tutum allegare, et propterea se excusare et appellare, ac auxilium super hoc aliquorum saecularium invocare non possint“... Tandem ordinat etiam Pontifex ut „professio per Monachos Monasteriorum dicto Monasterio Sancti Benedicti subjectorum et subjiendorum, in posterum sub hac forma deinceps admittatur et recipiatur: Ego Frater N. promitto stabilitatem meam perpetuae inclusionis, et conversionem morum meorum ac obedientiam coram Deo et Sanctis ejus Priori Monasterii Sancti Benedicti de Vallisoleti, tanquam capiti principali, et deinde vobis N. Priori praesentis Monasterii, eidem Priori Generali subjecto et successoribus Generalis et hujus Monasterii Priorum secundum Regulam Sancti Benedicti.“ Quam quidem professionem omnes Monachi facere teneantur, non obstante alia forma in Capitulo Monasteriorum hujusmodi proxime praeterito edita.“...<sup>1)</sup>

Denique ut quod intendebamus probetur, Alexander VI anno 1496 confirmat et approbat quod statutum fuerat ab ultimo Capitulo Generali: „Quod deinceps perpetuis futuris temporibus omnia et singula Monasteria dictorum (Monachorum) Ordinis et observantiae in Hispaniarum Regnis consistentia insimul unita et incorporata existentes unumque corpus et Congregationem insimul forent“... „Quodque Abbas pro tempore existens et etiam dilecti Filii Conventus dicti Monasterii Sancti Benedicti ejusdem Congregationis caput esse deberent haberentque in omnibus et singulis Monasteriis dictae Congregationis eandem ordinariam jurisdictionem quam loci Ordinarii in Monasteriis eis subjectis de jure habere dignoscebantur; ac omnes et singuli Praelati et alii Monachi dictae Congregationis ipsum Abbatem Monasterii Sancti Benedicti in eorum supremum et praecipuum Superiorem recognoscere debent... ejusque mandatis omnibus in quacumque tam spirituali quam temporalis causa dictos Monachos concernente parendum esse, omnesque et singuli Monachi quorumcumque Monasteriorum dictae Congregationis in quibusvis rebus, mandatis et censuris ejusdem Abbatis Monasterii Sancti Benedicti sicut praecipuo Superiori et Praelato obedire teneantur“...<sup>2)</sup>

Deinde confirmat alia Decreta pro regimine Congregationis edita, quae respiciunt celebrationem Capituli Generalis singulis triennii faciendam, ad quod Abbates omnes cum Procuratoribus Monasteriorum ab ipsis Conventibus electis, etiam non vocati accedere cogebantur; item electionem Definitorum pro negotiis definiendis et duorum Visitorum Generalium, qui post visitationem

<sup>1)</sup> Ibidem, pag. 128.

<sup>2)</sup> Privilegiae praecipua, pag. 135 seq.

Abbatis Generalis iterum totam inviserent Congregationem duorumque Suppletorum, ut cum opus fuerit sufficerentur cum potestate Abbatis Generalis; electionem item Abbatum juxta formam a Capitulo Generali statuendam, ipsorumque per Abbatem Generalem confirmationem; et denique, ut majorem firmitatem Congregationi tribueretur, ordinat Pontifex, ut tam Monasterium Sancti Benedicti Vallisoleti, quam cetera eidem subjecta, renuntient privilegiis etc., quae hujusmodi statutis essent contraria. Quae omnia postea confirmavit idem Alexander VI. in privilegio anno 1505 expedito jussu Julii II, tribuens Patribus Definitoribus potestatem statuendi quaecumque ad regimen bonum Congregationis spectarent tam in spiritualibus quam in temporalibus sicuti Definitores Congregationis Sanctae Justinae de Padua.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Privilegiae praecipua, pag. 142.

(Continuatio in fasc. seq.)



**Bemerkung der Redaktion:** Einige der nun folgenden Artikel mußten, wiewohl dieselben eigentlich in die erste Abteilung gehören, wegen zu spätem Eintreffens der bezüglichen Manuskripte in die zweite Abteilung zurückgelegt werden.